CAROLI A LINNÉ,

Equitis aurati de ſtella polari,

ARCHIATRI REGII, MED. ET BOTAN. PROFESS. UPSAL. ACAD. PARIS. UPSAL. HOLM. PETROPOL. BEROLIN. IMPER. LONDIN. ANGL. MONSP. TOLOS. FLORENT. EDINB. BERN. SOC.

SYSTEMA NATURAE

PER

REGNA TRIA NATURAE,

SECUNDUM

CLASSES, ORDINES, GENERA, SPECIES,

CUM

CHARACTERIBUS, DIFFERENTIIS, SYNONYMIS, LOCIS.

TOMUS I.

EDITIO DECIMA TERTIA, AUCTA, REFORMATA.

CURA

JO. FRID. GMELIN,

PHILOS. ET MED. DOCTOR. HUJUS ET CHEM. IN GEORGIA AUGUSTA PROF. P. O. ACAD. CAESAR. NATURAE CURIOSORUM ET ELECTORAL. MOGUNTIN. ERFORDIENSIS, NEC NON SOCIET. REG. SCIENT. GOETTINGENSIS, PHYSICAE TIGURIN., ET METALLICAE MEMBRI.

LIPSIAE, 1788.
IMPENSIS GEORG. EMANUEL. BEER.

36. RHINOCEROS. *Cornu* ſolidum perenne conicum, naſo inſidens, cum oſſe non cohaerens.

unicornis. 1. R. cornu unico. *Geſn. quadr. p.* 842. *Albin. tab. muſcul.* 4. 8. *Knorr delic. T.* II. *p.* 110. *t.* K. X. *Parſons philoſoph. Transact. Vol.* XLII. *n.* 523. *Edw. av. t.* 221. *f.* 2.

Habitat inter et prope tropicos *in paludoſis, jam Jobo memoratus, ſub nomine* Reem; *in pugnis animalium apud Romanos celebratis vulgatus, per longum tamen temporis ſpatium in Europa inviſus, donec ſeculo decimo ſexto aliqua ejus exempla in Europam devenerint: Victitat vepretibus, ſpinis, in coeno ſe volutans, parumper manſueſcens, mitis, niſi laceſſatur, irritatus cum fragore arbores proſternit; retro mingit et coit; unum modo pullum parit. Viſus debilis, olfactus et auditus tauro praeſtantior.*

Statura et magnitudine, *pedibus brevioribus exceptis, non tamen ſagacitate et docilitate ad elephantem, reliqua forma, moribus, voce grunniente propius ad ſuem praeſertim aethiopicum accedit.* Cutis *dura, ut ſagittae, globuli ſclopetarii, gladii ictus inde reſiliant, nuda pilis, niſi cauda et auriculis:* Suturae ſ. rugae *tranſverſales α) capitis poſtica. β) ſcapularis. γ) abdominalis ante femora. δ) femoralis trans femora.* Caro *craſſa, ſpongioſa, vix edulis.* Lingua *mollis.* Cornu *baſi crinitum, acutum, fibroſum,* 3 *aliquando pedum longitudinem attingens.* Dentes primores *adulto nulli, juniori remotiſſimi ſolitarii occurſantes.* Ungulae *tres.* Cauda *attenuata, pedibus brevior.*

bicornis. 2. R. cornubus duobus. *Syſt. nat. Ed.* X. *p.* 56. *n.* 2. *Sparrmann act. Holm.* 1778. *trim.* 4. *n.* 5.

Habitat in Africa, *oſſibus ejus, teſte nuperius Pallas, frequentiſſime in Ruſſia, boreali quoque ſepultis; jam* Pauſaniae et Martiali *dictus, in nummo* Domitiani *obvius, a* Coſmo *ſexto ſeculo memoratus, vix differre videtur ſpecie, neque tamen modo ſexu aut aetate.*

Caro *ad ſuillam,* viſcera *ad equina accedunt.* Cyſtis fellea *nulla.* Dentes primores *nulli.* Cornu *alterum ſupra primum verſus frontem.*

Rarior eſt rhinoceros tricornis, tertio tum cornu ex alterutro priorum excreſcente.